



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

234. feria 4. de mortificatione Auditûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

420 FERIA 4. DOMIN. 9. POST PENTECOST.

MEDITATIO CCXXXIV.

FERIA 4. DOMIN. 9. POST PENTECOSTEN.

De mortificatione Auditus.

Videbo Domini JESU aures, de quibus ipse loquitur: *Aures autem adaptasti mihi, valde mortificatas, propter opprobria quæ iisdem excepit. Petam eum imitari.*

Conf 1. Qui propter Deum eligit afflictiva, magis placet Deo, quam qui exercet opera devotionis: quia majoris amoris indicium est, graviora pati propter alterum. Quare si propter minimum opus datur merces in coelo, quantum major dabitur pro opere mortificationis, exempli causa, auditus? Si mortificationem dicitur Spiritus sanctus. Igitur actiones ejus à Spiritu Dei sunt.

Conf 2. Actiones ejus: 1. Si coram me aliquid obscœnum, aut impudicum, aut minus honestum, vel certè, quod etiam longissime aliquam impuritatem oleat, aliquis proferre attentet, maximam mei status, ac personæ injuriam reputare. 2. Qui talia loqui audent, non tantum fugere, & detestari, sed eos etiam viles, fatuos, & infames existimare. 3. Amatoria carmina, versus aliquid impuritatis habentes, licet scite compositos, & cantilenas, à quocunque occinantur, penitus rejicere. 4. Nugas, scurrilitates, verba jocularia,

Feria 4. Domin. 9. post Pentecost. 421

culatoria, & narrationes ridiculas, & alia risum, & cachinnos provocantia non audire, nec, ubi hæc dicuntur, assistere. 5. Rumoribus rerum inutilibus, quæ ad statum meum non pertinent, nequaquam intendere. 6. Detractionibus, & obmurmurationibus proximi, etiamsi levissimi tantum eorum defectus dicantur, nullo modo aures meas præbere. Laudationes meas, & omne genus adulationis, quod me, aut mea efferat, audire contemnere. 8. Quæ occulta sunt, & ab alijs me non vocato ad consilium tractantur, non auscultare, nec me consortio secretè loquentium genere. 9. Nihil audire velle, si non necessitati, aut utilitati, aut charitati aliquo modo serviat. 10. Verba Dei, à quocunque dicantur, frequenter, & humiliter audire, devotè in mentis sinu recondere, & in animæ meæ profectum convertere.

MEDITATIO CCXXXV.

Feria 5. Domin. 9. post Pentecost.

De mortificatione Gustûs.

Aspiciam Dominum JESUM fame, & siti afflictum, felle, aceto, & myrrhâ potatum. Petam amore ejus, gustum mortificare.

Cons 1. Regnum cœlorum, in quod laborando conscendendum, quodque ab ijs obtinetur, qui in illud vim faciunt, non esse escam,